

Caesar, de bello gallico I,1

[1] 1 Gallia est omnis¹ divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. 2 Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. 3 Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu² atque humanitate provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant³ atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important 4 proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.

Hilfen: 1) omnis: pädikativ (Beachte die Wortstellung!) – 2) ultus, -us m. = Lebensweise – 3) commeare = aus und ein gehen